



DE ORIGINE

*Seraphica Religionis Franciscanae
eiusque progressibus, de Regularis
Observantiae institutione, forma ad
ministrations ac legibus, admirabilibus
eius propagatione.*

F. FRANCISCI GONZAGÆ
eiusdem Religionis Doctoris, magistri Generalis.

AD

S. D. N. SIXTUM V.

opus in quatuor partes diuisum.


*Earum quid unaqueque
contineat,*

sequens pagina indicabitur.
Abbas Balth. Romæ. & Sacerd. J. P. P. P.


Guliciana

Superiorū

1587



1255 Bishop's Palace
London
Digitized by Google



PROVINCIA

tra eiusdem Brixianæ ciuitatis murōs, eleganter factis, satisq; augustè constructus extitit. Nam & longitudine, & latitudine, atq; etiā pulchritudine cæteras antecellit ecclesias: eaq; de causa etiam ipsa cathedrali ecclesia Brixianis frequentior est: Cuius chorus, simulatq; reliquæ domus refectorij, atq; etiam dormitorium ita à paucis diebus refecta, restaurataq; sunt, vt omnibus huius Prnuicię locis palmam facile præripiat. Incolitur præterea hic locus à 40. fratribus, & aliquando à 50. interdum vero à 60. pro vt sese occasio offert: Quapropter primum sibi locum assignare volumus. Templum verò die 4. Octobris, anno tamen Domini 1519. à R. Matthia Vgono ex Brixia oriundo, atq; Episcopo Famagustano, vtroq; Brixienfi senatu, Ecclesiastico scilicet atq; laico astante, in honorem SS. Apollonij, Rocchi, atq; Iosephi dedicatum fuit. Qui quidem pientissimus Episcopus crucem, SS. reliquijs refertam, eius sacratio moriens, ex testamento, anno Domini 1536. die verò mensis Iunij 27. legauit: & apud fratres in ecclesia à se consecrata humari voluit: insuper & bibliothecam doctissimo libello à se edito sed manu scripto, cui vitiorum liber titulus est, locupletauit.

In huius loci archiuo inuenire licet apostolicum Sixti IV. breue, quo Franciscanis fratribus successio ab intestato interdicitur: Et aliud Alexandri. Papæ VI. breue, quo Minorum Ministris, ac Guardianis aliorum sibi casuum referuatio, à quibus nullus inferior ab eis absolueri possit, conceditur: & Franciscanis è Religione egressis hæreditaria successio prohibetur: & fratribus nostris Illyricū habitantibus facultas datur, vt nauigantibus Penitentia, atq; Eucharistiæ sacramenta, ex apostolica auctoritate, ministrare possint: Et aliud eiusdem Alexandri breue, quo huius nostri Instituti Generali, ac etiā Prouincialibus Ministris fratres incorrigibiles, dummodo maior Capituli pars consenserit, habitu spoliare, ac ab Ordine expellere licet: Et Leonis Papæ X. bullam, qua huius monasterij fratribus hortus extra mœniam edificandi ibidem sacelli facultate conceditur: Et apostolicarum eiusdem Leonis X. litterarum transumptum, quo interdictum Minoriticas comprehendens ecclesias diffusè præscribitur: Et aliud quoq; eiusdem Leonis X. transumptum, quo præcipitur, vt fratres nostri eum in processionibus alijsq; publicis actibus locum habeant, quem & Conuentuales Franciscani patres, ante separationem ab Obseruantibus, obtinebant: Et aliud eiusdem Leonis X. indultum, quo præfatas SS. Apollonij, atq; Rocchi ecclesias demoliri, hancq; sancti Iosephi Brixianis construere liberum fuit. Ac tandem quoddam Clementis VII. summi Pontificis transumptum, quo fratrum nostrorum Ministris Prouincialibus, simul atq; Guardianis semel redigendi ad certam pecuniarum summam legata sibi ex testamentis relicta, & ex conuentione cum testatorum hæredibus facta, dummodo id per Procuratores fiat, & necessitas expostulet, facultas conceditur. Sub septimo huius sacræ ædis altare, portam ingressis ad leuam occurrente, quod Apostolo Andree sacrum existit, SS. Siluani, XII. Brixienfis Episcopi, atq; Rustitiani, XXII. eiusdem Brixie ciuitatis Episcopi corpora recondita sunt: quibus duæ tabellæ propria nomina exprimentia adiacent. Hæc sacra pignora, cum in ecclesia diui Apollonij humata essent, ne ea demolita prophanationi exponerentur, ad hunc locum, ex Leonis X. summi Pontificis mandato, translata fuere. Sub ara verò, diuo Roccho erecta, corpus S. Vrsicini, Brixienfis quoq; Episcopi, iacet. Arqui beatus pater Franciscus ab Aragonia parietem primi sacelli, quod iuxta claustri ostium ad dexteram occurrit, pro sepultura adeptus est.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Bergomi. *Conn. I I.*

BERGOMVM Transpadana ciuitas, ob ciuium peregrinationem, quos eius sterilitas aliò transigrare cogit, omnibus notissima est: Quilicet rerum inopes, in Christi tamen pauperes, præsertim verò in religiosos, liberalissimi sunt, prout hic conuentus, ex eorum sumptibus, circa annum Dominicæ Incarnationis 1422. sed extra antiqua ipsius vrbs mœnia, edificatus facillimè indicat: Cuius firm deuotus quidam Bergomas, Petrus ab Alfano nomine B. P. Bernardino contulit. Authenticum præfatae collationis instrumentum, actum Bergomi 27. Iunij, anno Domini 1422. imò & apostolicum Sixti IV. Pont. max. breue, sub datum Romæ 12. cal. Martij, anno Domini

A mini 1471. Pontificatus verò sui primo, cuius virtute hæc Provincia à Mediolanensi se-
iuncta est, in huius sacræ ædis archiuo asseruatur. In cuius etiam sacratio altera ex
spinis Dominicæ coronæ, fragmentulum Dominici etiam præsepis, a liquanulum ex
thure puero Iesu à Magis oblato, & aliquot Ss. Andree Apostoli, Cyriaci, Vr bani, Ro-
mani; martyrum, Benedicti Abbatis, sanctæ Agathæ virginis & martyris, atq; vnde-
cim millium virginum ossa, summa veneratione, custodiuntur. Huius deniq; monaste-
rij tanta est capacitas, vt 35. fratres frequèius contineat, plures etiam si adessent com-
modè contentura. Diem hoc in loco clausit extremum, anno Domini 1460. B. P. Da-
niel à Nimbro, miraculis illustris; quemadmodum & libellus quidam, cui titulus Ber-
gomèsis vinea, & chirographum, insuper & sigillum cuiusdam apud Bergomates In-
quisitoris, ibidem apposita, liquidò testantur. A parte huius sancti templi postero-
re inuisere licet Christi Domini seruatoris nostri, crucem baiulantis, imaginem, quæ su-
B perioribus annis, quadragesimali tamen tempore, miraculis coruscare cepit, adè vt
vndique fideles ad eam confluerent. Ex quorum etiam oblationibus, ara, sacellumq;,
ad Missas celebrandas, ibidem satis eleganter constructa sunt. Cuius quidem deuotio-
nis, atq; miraculorum hæc fuit origo: Dum casu die quadam fortius plueret, ac quidã
adollescens, qui adhuc superest, celeriori gradu pluuiæ vitandæ causâ illac pertranstret,
oculorum aciem fortè fortuna in huiusmodi Christi imaginem direxit, sanguinemq;
ex sacro eiuscapite profluentem conspexit: quapropter sui oblitus, ac genuflexus cla-
mitare coepit, miraculum, misericordia, & his similia. Quod cum conuicini audissent,
atq; ad eundem locum tenderent, vniuersa ciuitas commota fuit. Re tamen ad illustrif-
simum Borromeum, Mediolanensium Archiepiscopum, atq; S. R. E. Cardinalem, nec
non tunc diocesis Bergomatis apostolicum Visitatorè, delata, Bergomum is accedens,
C atq; superstitutionem, sub specie pietatis latentem, prudenter pertimescens, iubet sacel-
lum de nouo erectù destrui. Cùmq; Bergomas senatus eius imperio resisteret, assereretq;
vniuersam ciuitatem commouendam, atq; facilè in seditionem prorupturâ, quòd ma-
xima in huiusmodi locum deuotione, ac religione ferretur, subiecit grandæuus qui-
dam, ac pius Bergomatis ecclesiæ canonicus, maturiori consilio eo in negotio proce-
dendum fore: insuper & recentissimum huiusmodi miraculum in medium adduxit:
Pauperulam scilicet mulierem, à quidecim annis claudam, viribusq; omnino exhau-
stam, quæ & pro optata salute assequèda, quicquid bonorum obtinebat, consumpserat,
ac depauperata omnino ad commune eiuuitatis xenodochium se contulerat, post Mis-
sæ eo in sacello auditionem, ac voti à se emissi solutionem, integram sospitatem ex tem-
D pore, toto circumspectante populo, assequutam fuisse. Quapropter præfatus Cardina-
lis Borromeus, diligenti de huiusmodi miraculo examine habito, eiusq; veritate com-
perta, à proposito desistit, suaq; etiam vota præfatae imagini humillimè obtulit.

De conuentu S. Mariæ Coronatæ Martinengi. Conn. III.

Q VANTA fuerit illustrissimi, simulatq; piētissimi Bartholomæi Caleonis,
Venetorum Ducis, ad Christi seruos, deuotio, ex tribus monasterijs, à se constru-
ctis, liquidò patet. Quorum alterum, sub nomine Basella, euntibus ab hoc oppido Mar-
tinengo Bergomum, medio in itinere, occurrit, Dominicanisq; patribus deseruit: al-
terum verò intra huiusmet oppidi septa, sub inuocatione S. Claræ, surrigit, & à Cla-
rissis sororibus inhabitatur: sed tertium isdem muris cinctum, & S. Mariæ Coronatæ
sacrum, à 12. fratribus incolitur. Edificauit quoq; piissimus idem Bartholomæus Ber-
gomi xenodochium famosissimum, quod & nomine Misericordiæ insigniendū, ac plu-
rimis opibus, redditibusq; dotandum curauit. Multa etiam & alia his similia beneficia
præstitit, quæ tamen, quòd non sint præsentis speculationis, præmittenda censui.
Hoc tamen vnum silentio non præteribo, quòd videlicet huius loci sacrificiam pretio-
sissimis ornamentis, aureisq; calicibus, & argenteis, insuper & alijs iocalibus, atq; cæ-
teras conuenus officinas omnibus necessarijs abundè instruxerit. Cui deniq; ad pium
huiusmodi opus præstandum, Sixti I I I. Pont. max. auctoritas, cuius apostolicum bre-
ue, sub datum apud sanctum Petrum Romæ 18. Septembris, anno Domini 1475. Pon-
tificatus verò sui v. in huius loci archiuo asseruatur, affectu paterno fauit.

De conuentu